



Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús María>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De humilitate Cap. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](#)

abhorret, lauto coniuicio solari consuevit.
25. Ceterum ex historia modo tacta petitur ratio ad exquirendas virtutes has efficacissima: vicitus enim tam Iesu Christi D.N.Q. Beatissimae Virginis, quod inter mortales vixerunt, quid aliud, quam perennis abstinentiae, ac sobrietatis cultus fuit? Omnia sane hoc exemplo complectimur: nam quod de Apostolis spicas pro fame vellentibus, quod de multis Eremitis abstinentiae laude, usque ad miraculum commendatis, accepimus; minus quiddam, quanquam, si cum ignavia nostra comparetur, per se maximum est.

16. Certent igitur fratres nostri a probata Christo victus norma minime desciscere, ut mente in Deum sublatam, mentis, & corporis puritatem tueantur, & Christianae perfectionis viam velocissime percurrent,

De Humilitate.

Cap XI.

Nihil ipsis, quos peccatorum serio poenitet, quicquid infensum Deum exorare cupiunt, altissima Christi humilitate compendiosius est: quod multis parabolis,

bolis, & historijs Scripturæ sacræ con-
uincitur.

2 Est autem humilitas virtus , quâ co-
ercetur animus, nè ad se altiora feratur;
& licet in Irascibili exultat, temperantia
pars, & virtus per se clarissima est.

3 Quàm verò sit hæc virtus excelsa,
quam cōpendiosa , quàm suavis , nemo
est, qui possit ignorare : licet enim eius
vim planè diuinam nō omnes calleant:
sunt tamē adē celebria eius encomia,
quæ scriptis, & verbis ab incunte Chri-
sti Ecclesia, ad hunc usque diem perso-
nuerūt; ut maximi cuiusdam boni præ-
stantiam sub humilitatis nomine , ab
vniuersis hominibus concipi oporteat.

4 Virtus Christiana est, & vel ex eo ca-
pite illustrissima, cuius celsitudinē nul-
la Ethnicorum Philosophorum gym-
nasia & quare potuerunt: sola Iesu Chri-
sti schola rem tantā edocuit, quę pronos
olim ad terrā homines, ad cœlos euexit.

5 Quapropter iam hinc fratres nostri
nobilissimæ virtutis huius pulchritudi-
nem nosse desiderent ; vt audē specta-
tam ardenter ament; ac bona procul
dubio immensa, illius cultu conquerāt.

¶ Exi-

6 Eximiam sanè oportet esse pulchritudinem ; quæ cor Dei mirificè delectat, & ad sua vota suauissimè trahit : quam profectò energiam humilitatis esse propriam sacrī oraculis testatissimum est: nemo enim vñquam , se ex animo demisit, quem Clementissimus Deus, velut moræ impatiens, non statim amaret, & è puluere suscitaret; quamuis peccator sc̄elestissimus extirisset : quod vel illa dulcissima filij prodigi parabola liquet : nihil enim filius ille alienus è substantia tota secū referebat: ægrotus, tabidus, deformis, lacer reuertebatur : sola tamē cordis afflīcti demissione Dei cor è vestigio flexit.

7 Nec vtilitas vlla maior accidere potuit, quām post amplissimam opulentiam dissipatam, suspirio vno , cælestē regnum, quod aspicere non audebat, citō lucrari : quid enim (hoc excepto lucre) prodest homini, si vniuersum mūdum lucretur ? Porrò à mundo condito ars nulla tām lucrosa ab hominibus inuenta est, quām imis radicibus humilitas defixa : ob quam Pater amantissimus calceamentis, annulo stolâ primā,
 & re-

& regalibus ornamentis, instructum si-
lium, locupletius, quam ante discessum,
ditare festinat.

8 Qualia verò succedant oblectamēta:
vbi saginatus vitul⁹, & altilia multa, mé-
ſæ lautissimæ inferuntur, & symphonia
certè suauissima corda permulcet? Ne-
quit enim vllis eloquentiæ viribus ex-
plicari, quot quantaq[ue] sint interna ho-
minis se demittentis gaudia. Quid enim
sentiat, cum propter admissa peccata se
contrahere, ac in tartarum quasi detru-
dere nititur; contra verò amantissimus
Deus accurrit, amplectiur, & bono ani-
mo esse iubet?

9 Benè nōrunt, qui diuina pertractant,
inæstimabilia esse Dei oblectamēta, sed
cum præter opinionem animo vilia de-
secogitanti vberiūs indulgentur, stupe-
re quodam miro suspendūt, nec animo
illa capere posse videtur.

12 Cum ergo dulcissimæ virtutis huius
sit tanta fœcunditas, & quum erit, fratres
nostroseius decore capi, & per labores
quoq[ue] grauiores, de illa perquirenda co-
gitare: sed actus afferamus.

Ex-

Exemplum.

11 Perpendendum est: Regulam illius demissionis animi, quæ propriè est humilitas, esse propriæ fragilitatis cognitionem: ac propterea duo ad hanc virtutem requiri, intellectum scilicet verū, & purgatum affectum.

12 Debet enim quisqué, ex propria fragilitate, potissimumq; ex peccatis admissione, se dimittere: ac de proximo suo, in quo vel peccata similia non dignoscit, vel si qualia ipse beneficia receperisset ex peccatore iustior esset, meliora, quam de se ipso, animo concipere.

13 Nec tamen, ex hoc, ea Dei dona, quibus auctus est, paruipendere, sed quasi rem se meliorem gratis datam, & fortasse ob ingratitudinem, & abusum amittendam, estimare. Deprimunt enim animum, velut grauissima pondera, Dei munera: & ex hoc capite bonos eorum exploratores degrauāt, & rubore suffūdūt.

14 Gradus autem humilitatis à Patribus variè designantur: possunt tamen, perspicuitatis gratiâ ad hos reduci: ex parte materiæ, ad submissionem, quâ quis

quis maioribus, quā æqualibus, quā inferioribus, quā vniuersis etiā scelestissimis se subiicit : qui sunt quatuor gradus, obseruata serie, vsque ad quartum, qui omnium supremus est, ascendentes.

15 Verū , quia demissio hæc potius ad exercitiū, quo paratur, quā ad virtutis ipsius genus spectat : altera diuisio, quā à forma nūcupare licet, huic annexēda est: cuius primus gradus est, credere alios esse meliores : secundus , velle, vt alij quoque idem credant: tertius, velle, vt alij cum ipso quasi cum inferiore ignominiosè agat : quartus, cum sic agut, eum despectum patienter ferre: quintus, illo contemptu lētari , & contemprotes amare.

16 Postremus gradus hic sublimissim' est; & cum ad eum animus peruenit, incredibile est , quām immensa diuina amoris incrementa pariat: annotandum tamen imperfectis adhuc, immò & recenter ad Deum conuersis , præ sensu internæ suavitatis accidere , vt quos si bi culpas exprobare vident , ardentiū amare videātur : at affectio illa non est humilitas hæc , quæ prouectorum est pro-

propria: sed similitudo quædam, præter-
quam, quod innatum est homini, cum
lætus est, ignominijs, quæ amarum ani-
mum exasperant, non valde commo-
ueri. Sed actus proferamus.

Actus interni.

MItissime Iesu Christe, profiteor
coram te esse me vniuersorum
hominum vilissimum.

Nemo est, benignissime Domine, tam
tibi in gratus, & infidelis, ac ego.

Latrones ipfi, & sacrilegi, o misericor-
dissime Dñe perfecti^o tibi famularē ſi
eos, ac me, tot&tatis beneficijs affeciffes.

Nihil noui, neque amo, Clementissi-
me Domine, niſi terram: & propterea
non sum dignus aspicere cælum, nedū
ingredi.

Animalia omnia, pro captu ſuo, Do-
mine, tibi appropinquant: ſolus ego in-
finita vitæ meæ turpitudine à te recedo.

Deformior certè sum, Domine, ob
culpas meas, omnibus leprofis, & vlice-
rofis, qui ſanie fluunt,

Profectò, piissime Deus, ego debe-
rem in sterquilinio iacere, à cæterorum
homī-

hominum coniunctu sequestratus; ne illos peccatorum contagijs inquinarem
Absit à me Domine, vt velim ambu-

lare in magnis, vel mirabilib' super me
Vtinam, equissime Deus, vniuersi ho-
mines cognoscerent vilitatem meam,
& despicerent me.

Vtinam, multis ignomijs exproba-
rent mihi homines indignitatem meam
Domine, vt spernerer propter te.
18 Actus hi producēdi sunt, animo eni-
tente vilia de se opinari, ac iuxta eum sē-
sum optante; qualia commeruit, ab ho-
minibus recipere: sed actus externos de-
pr̄mamus

Ponendum est, omnes mundi totius
vilitates, inopiā, lepram, infamiam, pu-
blica supplicia, & quicquid ad dedecu-
vnquam orbe toto inuentum est, homi-
nem non ita cōtemptione dignum red-
dere, ac vna saltem culpa, quo ad Dei, ci-
verorum sapientum sententiam, despi-
cibilē efficit: nec in hoc sanè, apud ex-
p̄sores prudentes maior esse potest
controuersia, quām erga positum hoc
Duo bis ducta sunt quatuor: Ex quo ei-
scitur, vt is, cui propriorum scelerum
affili

affulsit vera cognitio, se tamen contemptu dignum existimet; ut omnino sibi persuadeat, & quoniam esse, ab alijs sperni: aliosque pro Deo stare, cum illum aspernantur. Quin etiam honorari erubescit; quemadmodum, qui cum pannosus, & elephanta sic conspersus sit, veste Regis purpurea indueretur.

19 Hoc ergo de se opinari Fratres nostri conetur: & ex hoc propriæ abiectio-
nis iudicio in actus externos ad hanc vir-
tutem colendam appositos, incumbant:
cuiusmodi sunt: in Refectorio, siue O-
ratorio, culpas suas, ut corripiantur, a-
perire: cum per Obedientiam licet, vili-
ora ministeria exercere: aliorum laua-
re pedes: sordidas vestes seu vasa mundare:
cum opus unum à multis efficiendū
est, locum postremum eligere: alijs ob-
uijs caput cum multa demissione aperi-
re: loquentibus attentum auditum, &
animum facilem præstare: dicentibus
quicquam minime contradicere: si con-
tradicant, confessim cedere: quæ alij di-
cunt, aut efficiunt magnificere: cum oc-
casio fert, aliorum facta commendare:
quæ contemptibilia videntur, neutiquam

spernere : totius corporis gestu mitem
animum , vtpotè alijs non repugnatu-
rum exhibere : quæ in se honorifica sūt,
vt ingenium , genus , literatura , (quo-
ad per Charitatem licet) occultare : quæ
de se ad despectum dici possunt , vtru-
ditas , tarditas , inertia facile detegere:
morem illum Superiorem , ac Magi-
strum flexis genibus alloquendi , sequē
quoties laudantur , siue vituperantur
prosternendi tueri : taliaq; plurima , quæ
animi tantæ virtutis cupidi passim de-
prehendent.

20 Nec in hoc rerum genere Fratres
nostros errare decet , cum actus hos ap-
petitui validè aduersantes , non sine mo-
lestia , & difficultate , se proferre conspi-
ciunt : hæc enim via militaris est : nec si-
ne arduitatis victoria serenissimam hu-
militatis pacem comparabunt . Et quod
in hoc bello durū modo videtur , meri-
to pretiosissimo recōpensatur : qua dera-
non est rationi consonum virtutis tan-
tæ propositum , ob assiduas congressio-
nes , vlo modo deponere : quod
& adiunctis rationibus confirmata-

Ho-

21 Homines, quo sūt ambitiosiores, eo se alijs indignius demittunt, & milleritibus, & gestibus animos supplices in aulis ostētant; vt parent honorem: quia sibi persuasēre, vt voti compotes fiant, hanc esse viam omnium appositissimā: cur ergo, cum oraculo Dei acceptum sit (omnis, qui se humiliat, exaltabitur) qui ad honores æternos aspirant, non se alijs studiosissimè submittant?

22 Rursus, homines auari, studio auri feruentissimo patria excedentes, vbi nobilitate sunt conspicui, commigrant in exteris regiones, & omnem fastum præcidentes, victu tenui, veste non serica, operibus non liberalibus se per annos multis, quasi seruitute damnant, vtditescāt: Erit ergò prudēs consilium, quos Deus opibus immensis aucturus est, in hoc regno peregrino, cor humile gerere, & omni propriæ existimationis pompa seclusa, compendio tanto ditari.

23 Deindē indecorum est homini plebeio, veste auro texta indui, nec sine rubore in publicū prodiret indutus: quale igitur ignominiae genus erit, Monachum, qui mūdi cōtemptū interno pro-

I 3 posito,

sito, & externâ veste profitetur, positâ
veste plebeia, superbiç fastum assumere?
Profectò deformè monstrum est: & sub
ea veste vilissima , elatus animus non
perseuerabit.

24 Præterea nemo est tām sibi contra-
rius, qui ab alijs amari nolit : ônes quip-
pè regnare cupiunt, & adeò cupiunt, vt
(quod proverbio dicitur) si peccādum,
pro regno quidem; regnum autem, quo
quis aliorum cordibus imperat, omniū
optabilissimum est ; & regnum re-
gnū, appellari potest; quia Regib⁹ quo-
que dominatur, qui cordibus potuit.
Cum ergo (experiētia quotidiana teste)
qui humilis est , iucundissimo quodam
imperio aliorum , à quibus impensissi-
mè amatur, animis principetur ; nescio
sanè, quomodo virtutem hanc non co-
lit orbis vniuersus.

25 Vis rationis huius à multis capitib⁹
amplificari potest: humilis quippe ani-
mus, cū alios se meliores existimet, on-
nia eis bona, siue honesta, siue utilia, siue
delectabilia potius, quā sibi deberi cre-
dit: item cum se vituperatione dignum
opinetur: opprobia, incommoda, dolo-

res

res, sibi vendicat: vnde illa, quæ alij oderunt, libenter accipit: quæ alij amant, libenter cōcedit: quo ergo pacto si alijs bona, sibi mala tribuit, inter humilē, & alios poterit oriri discordia, cū causa nulla subsit? Quod si cōcordia viget, humilē amari, ac proinde cordium dominum esse necesse est.

26. Et quidē, nō cordibus hominū rātū, sed (humanū dicimus) cordi quoq; Dulcissimi Dei sic vir humilis hæret, vt quodammodo dominetur: quid est enim aliud dominari, quā posse, quod velis, aliquā trahere quō vis? Constat autē humilem animū à Clementissimo Deo sic amari, vt ad eius nutum, mundi totius molem velle moderari videatur. Profectō exemplis hoc illustrissimis patet.

27. Quid non præstitit Dauidi ad nutū, quandō sustulit eum de gregibus ouiū, & de post fœtantes accepit eum pascere Jacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam? Dauidi inquam, qui coram arca fœderis Domini, expoliatus erat se, & ex animi demissione dicturus: Vixit Dominus, quia ludam, & vilioriam: & humilis ero in oculis meis?

I 4

28. Quid

Quid non humillimo Francisco infœdere nouo, indulxit, cui genere quodam amoris inaudito, semetipsum, inflictis amoris vnlneribus, impressit? Profectò impressionem hanc mundo vniuerso laudatissimam, humilitatis efficacitas videtur obtinuisse.

29 Hic autem expendi (si liceret) opportunum esset, quām sint ineffabilia humillium gaudia, quē amantissimus Deus infūdit: quomodo sibi eos adstringit, quomodo illabitur, q̄ modō sibi cōfigurat.

30 At verò non est opus rationes alias corraderē, & ad hauriēdum ē tenuibus riuis aquam, ab humilitatis fonte diuertere: notū est enim illud: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: à me, inquit, quasi diceret, à me, qui sapientia huius idoneus præceptor sum, Recte quidē: quia cum in forma Dei esset, exinanuit se formam serui accipiens: Quare ergo serui, per humilitatis cultum, non assurgant ad consortiū formæ Dei!

31 Quām tempestiuè fratribus nostris accideret ex ore Iesu Christi, post pedū lotionem, sedentis audire: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister,

& Do-

& Domine, & benè dicitis; sum etenim:
Si ergò ego Dominus, & Magister laui
pedes vestros: & vos debetis alter alte-
rius lauare pedes. Exemplum enim de-
di vobis, ut quemadmodum ego feci, i-
ta & vos faciatis.

32 Verum quamvis hoc infinitæ nobi-
litatis exemplar nobis deesset, ijs tamē,
qui in claustra Virgini sacra se abdidere
satis esse deberet filia Sion, & prudē-
tissima Virgo; quæ cum tota formosa,
& suavis esset, & eam Reginæ laudarēt;
profundissimam humilitatis abyssum,
quasi huius lucis usura indigna esset, sui
cognitione, ac mitissimi cordis demissi-
one penetrauit.

33 Hæc nota filij sui primogeniti, quem
pannis inuoluit: hæc quoque filiorum
secundo, & virgineo partu genitorum
nota est; illius ut docentis, horum quasi
discentium, ut sint humiles cordē, ut in-
ueniāt requiem fatigatis animabus suis,
dum salutari humilitatis aurā recrean-
tur, & futuram inquirunt.

34 Hæc nota ciuium dulcissimæ Hie-
rusalem, quorum nomina scripta sunt
in libro vitæ: qui superbæ Babylonis

fastum abiurarunt & per sui despectum
regnum cœlorum, quid vim patitur, vi-
olentirepuerunt.

35 Fratres ergò nostri, purissimæ ac hu-
millimæ Virginis proles, à Parente tā-
ta minimè degeneraturi, tametsi virtu-
tum omnium partes explere debeant;
hac tamē eximia, & reliquarum custo-
de virtute curent esse conspicui: sice-
nīm breuit̄s, quām sine experimentis
crederent, futuræ fœlicitatis primordia
quædam gustu pacis, quæ superat om-
nem sensum, in hac valle perquirent.

De Mansuetudine.

Caput. XII.

MAnsuetudo, quæ inter partes tem-
perantiæ recēsetur, est virtus, que
moderatur irā, & proindè in Irascibili-
sedem habet; ac fere passionis illius ar-
dorem extinguit: vnde laudem profe-
ctō summam promeretur. Videtur autē
(quod ad ordinē attinet) humilitati om-
nino socianda mansuetudo, cum à Chri-
sto simul commēdata fuerit, ubi dixit:
Discite à me; quia mitis sum, & humili-
corde.

Cum